



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 10. Francisci Borgiæ Cardinalis decessus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII.
A. C. 1702.

§. X.

*Francisci Borgiæ Cardinalis
decessus.*

Alter ex Cardinalibus defunctis erat Franciscus Borgia ex nobilissima Gandiæ Ducum prosapia natus, qui a teneris Ecclesiasticæ militiæ addictus, in complutensi Academia utriusque Jurisprudentiæ lauream emeruit. Postea Calatravæ Archidiaconus, & Toleti Canonicus, probata virtutum laude, morumque integritate adeo sese Hispano Regi commendatum reddidit, ut Arragoniæ Senatoribus aggregatus, necnon Calaguritano Episcopatu auctus, ab Innocentio XII. Purpuratorum Collegio urgente Rege accenseretur. Mortuo Pontifice ad sacra comitia profectus, Romam contendit, accepto autem Regiæ mortis nuntio, a Regni Administratoribus in Hispaniam iter relegere compellebatur, quamvis aliunde quietis, ac tranquillæ vitæ studiosus, parum Aulæ negotiis sese implicare consuetus esset: Favebat nihilominus factioni Gallorum, quorum votis conspirasse, atque in suppositi testamenti tabulis partem habuisse dicitur: ut ut autem sit, id tamen certum est, quod Philippum V. pro legitimo

timo

Sæc. XVII timo Rege statim agnoverit. Obiit
A.C. 1702. die quarta Aprilis annos natus dun-
 taxat quadraginta tres.

§. XI.

*Nicolai Rodolowichi Cardinalis
 extrema.*

*Palat. fast.
 tom. 5.*

Tertius erat Nicolaus Rodolowichus
 Ragusæ in Dalmatia natus. Hic
 teneram juventutem suam politioribus
 literis excolere intentus, anno ætatis
 suæ vigesimo secundo Romam venit,
 ubi ab Urbano VIII. Prælati Domesti-
 cis aggregatus, variis urbibus ac po-
 stremo Reatinæ Gubernator præficie-
 batur: Postea meritis clarus, ab In-
 nocentio XII. utriusque signaturæ Re-
 ferendarius, ac demum Theatinus Ar-
 chipræsul renuntiatus, pluribus S. Cong-
 regationibus a secretis fuerat. Emi-
 nuit utriusque jurisprudentiæ præstan-
 tia, aliarumque virtutum laude; qua-
 propter ab eodem summo Pontifice in
 Purpuratorum Collegium cooptatus, su-
 premi Pontificatus honores adeptus
 fuisset, nisi Austriacæ Domus commo-
 da studio nimis manifesto procurasset:
 Obiit denique Romæ die vigesima ter-
 tia Octobris anno ætatis suæ septua-
 gesimo sexto.

§. XII.